



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Nicolaus Miles. 24. Decembr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

rum spe præsentia mala vincuntur. Unde tædio molestissimo nonnunquam exederis? Nonne ex eo, quòd oblivisceris Dei, qui solus potest te consolari?

3. Beati servuli vita clausa est morte suavi ac felici; ultimo vitæ momento nihil timet, sperat omnia: miseras ac dolores linoquit, ut incredibili gaudio, imò & gaudiorum fonte potiatur. O vos! qui lugetis, variis pressi miseriis, luctum abstergite: vitæ finis initium erit gaudiorum. Mundi hujus felices! ex voluptatum cæno in malorum oceanum transferemini, Seu senex, seu juvenis fueris, dispone domui tuæ. *Nam mors senibus est in januis, juvenibus in insidiis.* Guerri.

S. NICOLAUS Miles.

24. Decembr.

Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. S. Joan. Baptist. Luc. cap. 3.

HAnc militum ego periculosissimam pugnam puto, quam cum castitatis hoste Amore pugnant. Nam huic succumbere, quid aliud est, quàm triumphos suos vendere? Nicolao nostro crede, qui cum in Bulgaros movit, Nicephori Imp. auspiciis, ecce priusquam

quam bellum hostis faceret, militi mulier fecit hospitis filia. Ter impetum in castissimum fecit; sed ter Nicolaus repulit Verecundiæ umbone tutus. Poterat ergo ante pugnam victoriam canere, solus ex omni exercitu Nicephori Victor. Etenim sub noctem Somnus Nicolaum in campum producit; videt stantes utrinque acies, signa signis inferri, viros viris concurrere, scuta scutis, pede pedem hære, Interea aspicit ex Cælestibus Ducibus unum, qui decussatis in crucem pedibus aleam belli regebat & victoriam ex suo arbitrio dispensabat. Nam cum sinistram pedem dexter premebat, Romani; cum sinister dextro incumberebat, Bulgari vincebant. Sed & inter cælorum corpora locum vacuum videt, auditque fatalem eum sibi & Commilitibus suis futurum fuisse, si Veneri heri palmam cecidisset, Somnii veritatem cum Sole dies ostendit & strages Romanorum, quibus vincens primò, Bulgari ultimò victoriam extorserunt. Tum enim vero Nicolaus rectius dehinc bellaturus nomen militiæ Religiosæ dedit. In hac tot trophæa posuit, quot pugnas pugnavit. Illud nobilissimum omnium est, quod Nicolaus de Nicolao statuit.

Ex Menais.

MEDI-

M E D I T A T I O.

De Vigilia Nativitatis Christi.

1. **P**Rægnans Maria in oppido Bethleemitico ostium hospitium quærit, nec est ei locus ullus in diversorio. Quàm dudum Jesus pulsat, instat ad ostium cordis tui? & simulas te eum non audire. Hodie, Domine, confessus ritè peccata, parabo, & aperiam cor meum; veni, Jesu, veni, quid te moratur? an superbia mea, an acedia, an terrestrium bonorum amor? Ah! faceessant hæc omnia, ut ad me venire non grave-
ris.

2. Sunt qui Jesum recipiunt eodem modo, quo eum recepturus erat Herodes si apud ipsum divertisset. Tu cujus in pectus cras Jesus venturus est, cave, ne tam benignum hospitem malè habeas, ne peccatis sordidum sit hospitium. Cave item, ne statim novis peccatis Jesum expellas. Væ illis! qui Christo hospitium præbent, vitiis contaminatum. *Non minus peccant quam qui Christum tradiderunt crucifigentibus Iudæis.* Aug.

3. Adesto sacro quod fiet sub mediam noctem, ut nascentem adores Jesum; sed par sit humilitas, pietas & fides tua humilitati, pietati & fidei pastorum; idem quippe Deus nascitur in altari, qui olim natus est in Præsepio. Observa humilitatem, & verecundum amorem Mariæ, & Josephi coram hoc suavissimo Puello; abjice te ad pedes ejus: aperi cor tuum: roga ut in eo solus dominetur.

NATI-